

REG. — Jam ut petasus decadat, inquit, quid faciendum est?

Sed eum gloriosus ille non audiit. Gloriosorum enim est nihil nisi laudes audire. Regulum porro interrogavit:

GL. — Verene me multum admiraris?

REG. — Quid significat admirari?

GL. — Admirari hoc significat, me in stella formosissimum unum et elegantissime vestitum et divitissimum et ingeniosissimum esse profiteri.

REG. — At solus in stella ista es!

GL. — Gratum mihi feceris si me tamen admiratus eris. Regulus, jactatis paulum umeris:

REG. — Admiror te, inquit, sed quidnam tua interest?

Quae cum dixisset abiit. Dum autem iter facit, nihil amplius secum cogitavit quam haec: «Enimuero adu-  
lorum hominum mores valde insoliti sunt.»

## XII

PROXIMA STELLA A potatore incolebatur. Quamquam regulus apud eum minime diu commoratus est, tamen magna tristitia affectus est. Cum enim potatorem silentio accubantem et binis lagonarum copiis, altera inanium, altera plenarum, circumfusum invenisset:

REG. — Quid istic agis? inquit. Tum potator maestissimo vultu:

POTATOR. — Poto, inquit.

REG. — Cur potas?

PO. — Ut obliviscar.

Hic regulus, jam misericordia captus:



REG. — Ut cuius rei obliviscaris?

Potator demisso capite confessus est:

PO. — Ut me pudere obliviscar.

Cum regulus ei subveniendi cupidus quaesisset cuius rei eum puderet, tandem potator:

PO. — Potare me pudet, inquit.

Perorata oratione jam obmutuit, regulus autem suspenso atque incerto animo abiit, in itinere nihil amplius secum cogitans nisi haec: «Enimvero adu-  
lorum hominum mores mirum quantum insoliti sunt.»

### XIII

QUARTA STELLA a negotiatore incolebatur. Ille adeo occupatus erat ut adveniente regulo ne caput quidem erigeret. Cui regulus:

REG. — Salve, inquit. Exstinctus est calamus tuus.

NEGOTIATOR. — Tres et duo fiunt quinque. Quinque et septem duodecim. Duodecim et tres quindecim. Salve. Quindecim et septem viginti duo. Viginti duo et sex duodeciginta. Non spatium ejus rursus accendendi. Viginti sex et quinque fiunt unus et triginta. Evasi! Fiunt ergo quinquies milies et sexies decies centena milia viginti duo milia septingenti triginta unus.

REG. — Quae ista quinquies milies centena milia?

NEG. — Hem! Semper ades? Quinquies milies et decies centena milia... Jam nescio quae sint. Tot occupationibus implicor! Gravis ego vir sum neque in nugis aetatem consumo. Duo et quinque septem...

Regulus autem, qui dum vixerat nunquam omiserat quod semel quaesierat, eum iterum interrogavit:

REG. — Quae ista quinquies milies et decies centena milia?

Hic negotiator, capite erecto:

NEG. — Quinquaginta quattuor anni sunt, inquit, cum stellam hanc incolo: omnino ter interpellatus sum. Primum ante hos viginti duo annos, cum melolontha bestiola nescio unde deciderat. Adeo formidolosum sonitum late ciebat ut in summa facienda quater peccaverim. Iterum ante hos undecim annos, cum ex artubus laboravi. Exercitatione egent. Ego autem ambulatiunculis non vaco.



Equidem vir gravis sum. Tertium... hodie! Fiunt ergo quinquies milies et decies centena milia...

REG. — Quae ista toties centena milia?

Intellexit negotiator otium sibi desperandum esse.

NEG. — Centena milia pusillarum istarum rerum quae in caelo interdum cernuntur.

REG. — Muscaene?

NEG. — Immo pusillae res quae lucent.

REG. — An apes?

NEG. — Immo pusillae res aureo colore de quibus cesatores vigilantes somniant. Ego autem vir gravis sum nec somniis istis vaco.

REG. — Quid? An stellae?

NEG. — Ita prorsus. Stellae sunt.

REG. — Quid porro quinquies milies centenis milibus stellarum facis?

NEG. — Immo vero sunt quinquies milies et sexies decies centena viginti duo milia stellarum septingentae triginta una stellae. Ego vir gravis sum atque in subducendis rationibus diligens.

REG. — At quid hisce stellis facis?

NEG. — Quid faciam rogas?

REG. — Rogo.

NEG. — Nihil facio. Eas possideo.

REG. — Stellis possides?

NEG. — Possideo.

REG. — At ego jam regem vidi qui...

NEG. — Reges non possident, sed alicubi regnant. Plurimum inter hoc et illud interest.

REG. — At quid tibi stellis possidere prodest?

NEG. — Hoc prodest ut dives sim.

REG. — At quid tibi divitem esse prodest?

NEG. — Ut alias stellis emam, si quis quam reperit.

Tum regulus secum:

REG. — Hic eodem fere modo atque ille meus potator ratiocinatur.

Tamen etiam interrogavit:

REG. — Qua ratione stellae ab aliquo possideri possunt?

Cui negotiator truculentius:

NEG. — Cujus sunt? inquit.

REG. — Nescio. Nullius.

NEG. — Atqui meae sunt; primo enim mihi hoc in mentem venit.

REG. — Satis est?

NEG. — Ita prorsus. Nam ubi adamantina invenis, tuus

est. Ubi insulam vacuum invenis, tua est. Ubi machinationem aliquam invenis, modo in tabulas publicas referendam caveris, tua est. Eadem ratione ego stellis possideo, quoniam nemini ante me in mentem venit eas sibi vindicare.

REG. — Recte quidem dicis. Quid autem eis facis?

NEG. — Procuracionem earum gero. Earum rationem identidem subduco. Difficile quidem hoc est, sed ego vir gravis sum.

Tamen regulus nondum satisfecerat.

REG. — Ego si focale possideo, id collo circumdare possum et auferre. Si vero florem possideo, florem carpere et auferre possum. At tu stellis carpere non potes.

NEG. — Non equidem possum, sed rationes earum apud argentarium deponere possum.

REG. — Quid ista significant?

NEG. — Hoc significant, me in chartula numerum stellarum mearum scribere solere, deinde chartulam illam in loculos clavi clausos condere.

REG. — Nec quidquam amplius?

NEG. — Satis est.

Tum regulus secum:

REG. — Festivum quidem id et poeta satis dignum est, non gravissimo viro.

Regulus enim de gravibus rebus longe aliter atque adulti homines sentiebat. Rursus ille:

REG. — Est mihi flos, inquit, in quem aquam cotidie spargo. Sunt mihi montes—Vulcanios eos vocant—quos octavo quoque die purgo. Nam et eum purgo qui exstinctus est. Utique cavendum est. Et eis prodest et flori a me possideri. Tu contra nihil stellis prodes.

Negotiator os aperuit, sed, cum nihil invenisset quod responderet, regulus abiit. Dum autem iter facit, nihil aliud secum cogitabat nisi haec: «Enimvero adulatorum hominum mores ab usitatis moribus omnino sejuncti sunt.»

#### XIV

QUINTA STELLA cognitione dignissima erat. Omnium minima erat et vix satis patebat ut lychno publico curatorique ejus sedem praeberet. Regulus nulla ratione intellegere poterat quidnam in regione aliqua caeli atque in stella a domibus incolisque vacua lychnus curatorque lychnorum prodesset. Tamen sic secum cogitavit:

REG. — Nescio an hic ratione careat. Tamen ea minus caret quam rex ille et gloriosus et negotiator et potator. Labor saltem ejus rationem quandam habet. Cum enim lychnum cujus procurationem habet accendit, novam stellam vel florem quodam modo gignit. Rursus, cum eum exstinguit, tum flos vel stella obdormiscit. Ne ille in re venustissima occupatus est. Hoc autem vere utile est quoniam venustum est.

Itaque ubi ad stellam appulsus est, curatorem lychni honorifice salutavit:

REG. — Salve. Cur lychnum modo exstinxisti?

CURATOR. — Ita mihi mandatum est. Salve.

REG. — Quid mandatum significat?

CUR. — Hoc mandatum est ut lychnum hunc exstinguam. Hac nocte vale.

Continuo eum rursus accendit.

REG. — At cur eum modo rursus accendisti?

CUR. — Ita mihi mandatum est.

REG. — Non intellego.

CUR. — Nihil intellecto opus est. Sic se mandatum habet ut se habet. Salve.

Continuo lychnum exstinxit.

Deinde sudario rubris quadratis insigni frontis sudorem abstersit et:

CUR. — Immani munere fungor, inquit. Olim moderata laboris ratio erat. Lychnum mane accendebam; vesperi exstinguebam. Ita reliquum diem ad requiescendum, reliquam noctem ad dormiendum vacuam habebam...

REG. — Aliud videlicet postea mandatum est?

CUR. — Non aliud mandatum est. Inde omnis haec calamitas! Etsi stella in annos singulos celerius versata est, tamen non aliud mandatum est!

REG. — Quid igitur?

CUR. — Nunc igitur, quia in sexagesima horae parte semel vertitur, non temporis particulam ad interquiescendum jam habeo. Sexagesima in parte semel et accendo et exstinguo.

REG. — Equidem hoc mirifice delector, diem apud te sexagesima parte finiri!

CUR. — Immo ego nequaquam delector. Mensis enim jam est cum inter nos loquimur.

REG. — Mensis?

CUR. — Ita est. Triginta sexagesimae, triginta dies! Hac nocte vale.

Continuo lychnum accendit. Quem cum regulum intuitus esset, curatorem illum dilexit qui mandata tanta



*Immani munere fungor.*

fide persequeretur et, recordatus se ipsum solis occasus sella movenda olim sectatum esse, amico subvenire voluit.

REG. — Ego vero... scio qua ratione acquiescere cum velis possis.

CUR. — Semper volo.

Fieri enim potest ut fidelis et idem piger sis.

Regulus ut inceperat perrexit:

REG. — Stella tua adeo parva est ut tribus passibus eam circumeas. Tibi nihil aliud agendum est nisi satis lente progrediendum ut in aprico loco semper verseris. Si quando acquiescere voles, progredieris: ita quamdiu voles lucebit.

CUR. — Isto modo parum proficio. Hoc me in vita juvat... dormire.

REG. — O te infelicem!

CUR. — O me infelicem! Salve.

Quae cum dixisset, lychnum exstinxit. Regulus autem dum ad ulteriora pergit sic secum cogitabat:

REG. — Hic quidem ceteris, regi illi, glorioso, potatori, negotiatori contemptui esset. Tamen unus est qui mihi non ridendus esse videatur, fortasse eam ob rem quod non suam, sed aliam quandam rem curat.

Tum desiderio ejus commotus suspiravit et haec secum denuo:

REG. — Hic unus est quo uti amico potuerim. Sed stella ejus re vera minor est quam ut duobus locus sit...

Hoc autem regulus secum confiteri non audebat, se desiderio felicitis illius stellae imprimis teneri quod sol in viginti quattuor horis milies quadingenties quadragies occideret.